...s Markiewicz

...udovici: Naeniae tempesti-
vae Casimiri Markiewicz Wazgitowicz
ab immaturae mortis ictu occidentis.

NÆNIÆ TEMPESTIVÆ

Nobilis ac Generosi Domini

CASIMIRI MARKIEWICZ WAZGIŁOWICZ,

In Alma Academia Cracouiensi Public: Lect. Auditoris studiosissimi.

Ab immaturæ mortis ictu occidentis.

In solatium mœstissimo Parenti

Nobili ac Generoso D.

D. PETRO MARKIEWICZ WAZGIŁOWICZ DE BVKSZEWICE,

S.R.M. Curruum Præfecto.

Per

M. SEBASTIANVM LVDOVICVM MACZOWSKI, *Philosophiæ Doctorem & Profeß. Propensi amoris ergô, in lucem publicam*

Editæ.

CRACOVIÆ.
In Officina Christophori Schedelij, S.R.M. Typographi.
Anno 1646. Die 5. Nouembris

In Stemma Nobiliſsimæ Domus MARKIEVIANÆ.



MArkieuii clarum referunt dum ſtemma ſagittæ
Vnam gnatus habet, ſeruit at illa patri
Tendit ad æthereum gnati conſcendere cœlum
Tardiùs hanc ferri, ſed cupit ipſe parens
Heû ſine ſuſceptum genitor procedere greſſum
Fac Tua nec linquat ſicce ſagitta polum.

Nobili ac Generoso Domino

D. PETRO
DE
BVKSZEWICE
MARKIEWICZ WAZGIŁOWICZ,
S. R. M. CVRVVM PRÆFECTO.
SALVTEM ET OMNEM FELICITATEM.

DIffiteri non poßum mæstißime Parens, iustißimum Te habere doloris argumentum, dum inimica vitæ, & omnis solatij insatiabilis vorago mors, dulcißimum pignus, ac singulare familiæ Tuæ ornamentum, quod vnicum habebas, non tam Tibi sustulerit, quam per vim vt amplius cõspectu illi⁹ careres, è depoßitorio alienæ curæ abstulerit. Aequitatem dolori Tuo adscribo, non ea tantum impulsus ratione, quia paterno ad id duceris affectu, sed quod tam misero casu filium Tuum amiseris, vt cuiq; parenti miserabilius nemo filiorum amitti possit. Etenim si admodum dolendum parenti eum filium ducimus, quem in remotißima consolatoriæ spei lance poßitum, sentimus moriundum: si gradum acquirit dolor apud genitorem, filij concitata mors, in virtutibus & amplißimis literarum studiis exiguos fructus facientis: quantò magis non doloris tantum, sed omnem lachry-

marum

marum copiosissimam etiam superat vbertatem, orbitas pignoris tanti, à quo non iam sperari, sed colligi solatiorum semina conueniebat, cuius non iam exoptare, sed suspicari profectus oportebat, quem non iam florere, sed maturescere in florida licet ætate, grauissima sapientum cohors & agnouit & approbauit. Talem quippe tu filiũ amisisti mæstissime Parens. Quare si eum luges non admiror. Etenim dum vixit Casimirus splendidum quamuis vnicum domus Tuæ lumen, ita animum omni bono armauerat, vt & studiosa iuuentus Academica exemplum, & Respublica spem proximam, & tu inenarrabile solatium habuisses, nisi mortis falce (cuius iudicii maturitas ætatis excesserat imbecillitatem) immaturè demessus fuisset. Equidẽ tamen licet magna doloris habeas incitamenta, dolendum nihilominus tibi non esse, non leuiora præsto habentur fundamenta. Etenim quidquid de Tuo filio precabaris, totum id priusquam casus hic mirus immaturæ mortis, in Casimiro exequeretur, apertissime expertus es. Namq; si nunquam intermorituræ famæ nomen ab illo expectabas, hanc etiam à mortuo recipere potes, qui omnium sapientissimi conuentus Academici consensu optimus perhibetur: Si solatium senescentis ætatis desideras, nec eo Te carere sufficientem in modum diffiteberis, cum memineris talem Te filium habuisse, quem in omni virtutis emolumento exercendo, non ex vocis tantum dignitate, quod fuerit Casimirus, sed ex euidentissima rei veritate admirandum, ad quos tantum nominis illius notitia, peruenerat, quilibet agnoscebat: si beneficia non compensata luges: optime quippe ille tibi compensare beneficia proposuit, qui totam quoque vitæ suæ rationẽ ad falcem indiscretæ mortis positam voluit, vt dum parentibus reddi æquiualens non posse cognouisset, ille compensatione æternitatis à summo rerum opifice tibi impetrandæ id acquireret. Atq; hæc singula cum è mortui quoq; filij manibus recipere possis, totum te accepturum colligas, quidquid parentum amor è filiorum vita suo iure

iure recipiendum præſupponit. Tu tamen hoc in maximis bonis ponendum exiſtima, quod licet cum occaſu filij tui temporis ſpolium, & imbecillitatis exemplum, quondam in eo toto vitæ tempore funeſtum in modum relucens, amiſeris, Caſimirum tamen tuum non amiſiſti, quem & ſtudioſæ iuuentuti Academicæ exemplar propoſuiſti, & cæleſti patriæ in ciuem dediſti. Vtendum tibi illo non fruendum fuit: commodatum habuiſti, reddendus erat cum natura poſceret, quæ in eo non tuam & noſtram ſatietatem ſecuta eſt, ſed legem ſuam. Ergo illum non abiiſſe putes, quem præmiſiſti. Sua Te ille vitâ fulciri quandoquidem cupiebat, ceſſit ſuis, vt de eius annis Pater viueres. En attentam exhibe aurem quomodo è vita deceſſurus Te Caſimirus alloquatur. Tu verò pater (inquit) víue, & ſi tam obſequens es, vt hoc precari filio permittas, de meo viue: ſi brèuior voto tuo vixi, boni conſule. Volo interim ſolatia Tua Tibi oſtendere. Reſpice ſorores meas, quibus ſaluis fas tibi non eſt accuſare mortem meam: in vtraq; habes, vnde vtriusq; virtute delecteris, fruere alterius filiæ dignitate, alterius obſequio, vtriusq; pietate. Poſſum hoc iure meritiſſimo de illarum intimis affectibns polliceri, vt non plus ego vnquam Tibi præſtare poſſem, præſertim à Tuis ſemper remotus obſequiis, quam illæ lateri Tuo adhærentes præſtabunt. Certabunt in Te officiis, & vnius deſiderium, binæ prolis pietate ſupplebitur, vſq; adeo benè, vt nihil de me præter numerum deſiderare poſsis. Quare à deſiderio mei Te vindica, ne plus apud Te vnius dolor, quam totius familiæ ſolatia poſſe videantur. Quod ſi tamen poſt mortem meam ſubtractum tibi ſolatium, nulla ratione non incuſatum deſerere non poſſes, reuoca Tibi in mentem ſæpius, illud Romani ſapientis Senecæ in adamante inſculpendum edictum. Et hoc ipſum maximum ſolatium eſſe perdere æquo animo id quod periturū eſt. Quod autem nondum benè maturus ad mortis ferendum iugum cucurrerim, ne mirere: eo me nō minus Tui amor pepulit, quam

 naturæ

naturæ meæ optima diſpoſitio deduxit. Etenim poſteaquã mors intellexit ver ætatis meæ in ſocietatem æſtati adiunctum fuiſſe, autumno adueniente maturitatem fructus etiam me multoties repugnante à me repetiit, (licet quantũ autumnus valuerit in vſufructuũ non fuerim expertus) metuens ne forte quod iam in ſufficienti maturitate conſiſtebat, putredine autumno debitâ corrumperetur. Immaturum igitur occaſum meum Pater dilectiſsime non incuſa, cum is ſatis maturitatis habere cenſeatur, qui in autumno inuerſam arborem exuendo deſerit, præuidens ne hyberni frigoris malignitate conſtringatur. Satis vixi, ſi benè vixi Vita enim nec bonum nec malum eſt, ſed boni ac mali locus eſt, quin imo vita ſi moriendi virtus abeſt, ſeruitus cenſenda eſt. Quocirca neq; ego iam ampliora ad Te conſolandum conquiram argumenta, iudicium ſolius filii Tui de ſuo immaturo obitu diligentiùs penſita, agnoſces opinor, præter omnem controuerſi animi contentionem, dolendum quidem Tibi non eſſe, ſed tantum in aſsidua recordatione retinendum, Te filium omnis virtutis exemplar habuiſſe.

Tuæ Generoſæ Dominationi ad obſequendum promptiſsimus
Famulus.

M. SEBASTIANVS LVDOV. MACZOVVSKI,
Philoſophiæ Doctor & Profeſſor in Alma Acad. Crac.

ODE

ODE.

TRICOLOS TETRASTROPHOS.

QVis Te furore præcipitem dolus
Ad negligendos duxit Apollines
Augusta Musarum cohors. Vt
Iam vigiles famulentur auræ.
Sorti, dolosi vulneris indici
Quæ Parca dici promeruit suum
Propter crudelem, tum ferocem
Luxuriem ceruici negantem.
Dextrâ benignâ parcere viuido.
Iam vestra Musæ, quisque potest abhinc
Non velle Castrorum sequenda
Auxilia: & benè sanctà quondam,
E liberali fonte fluentia
Præstantis artis dulcia dogmata
Quæ nec seueros mortis ausus
Vincere nec coh bere vultis.
Iam quippè præstat Martis inertibus
Seruire campis, munia quam Scholæ
Sufferre: nec Bellona semper
Planitiem innocuo cruore,

Sparsis-

Sparsisse visa est: & nisi mors graui
Præsis periclo militiæ nocet.
Proh Castra doctæ Palladis; quæ
Casibus haud valet ire contra.
Longè beatus, quam soboles parens
Vitare liber Martis atrocia
(Instantibus quamuis nociuis)
Spicula qui potuit sub armis.
Felix parentis vita sub asperis
Iniuriosi casibus ætheris
Infausta summè posthumi: sub
Argutijs, phrasibus Sophorum.
Inferre iam nunc cuiq; licet, magis
Quandoque nobis vtilius fore
Curis rigorosi Furentis
Quam placidis placuisse Musis.
Quis ergo mæror nunc Tuus ô Pater
Quem gnatus ictu mortis ab aspero
Tactus relinquit: Te Patrem
Sollicitis fodiens sagittis.
Quis Te ex nefasto tum pepulit throno
Damnande mundi latro, sub hispidis
Membris necando non ineptum, &
Mortiferum referens venenum.
Heu florulentum cur Casimireum
(Matura nondum tempora, quem suo
Vnquam sinu constat fouisse
Nec graciles tenuisse menses.)
Victrice dextra fraudibus obuia, es
Conata tolli: nec memor anxij

Nostri

Nostri doloris : nec parentis :
Immemor & viridis iuuentæ.
Responsa mortis nunc genitor nota
Cunctos fatetur : non sine maximo
Sensu doloris, se sub vno
Articuli posuisse signo
Non se senili nec iuuenilibus
Ignosse vitis, quisque fatebitur
Est ex eodem singulis, &
Mors & honor capiendus amne.
Matura frustra nec bene florida
Ætas grauatur : vixit is haud parum
Quem clara virtus sub fauore
Et studium sub honore clausit
Suffecit illi quod mea lenia
Decreta sensit. dum debitum dari
Vitæ precarer, quod beatis
Negotijs vigilem prehendi
Gaude quod almæ Virginis integer
Seruus fuisset, laudibus hunc datum
Offendit, aduersæ salutis
Conscia, Parca furentis Orci.
A more primo nec refugum quoque
Experta vidi : nec spolium mihi
(Illud licet semper cupissem) ast
Æthereis animis reliqui.
Ergo quod vltra delicij genus
Exposcis : atqui nil datur inuium
Augere quod possit dolorem
Officium vel odisse nostrum

Frustra iacentem flebimus indolem
Iam se Beatis addidit hospitem
Præuentus à Parca, seniles
Præripuit CASIMIRVS annos.
Vester Beati, vester in ætheris
Euasit aulam: viuere pulchrius.
Incepit, Oratorq;ue cælo
Pro Patria stetit; elocutus
Gratum Tonanti carmen: & annuunt
Responsa votis, scilicet vtitur:
Cælis, & incedit per astra
Depositum speculatus orbem.
Es ter beatus nunc CASIMIRVLE,
Cuius serenus vultus, amæniùs.
Sæclum videbit, nec capaci.
Fundet humo, gracilem loquelam
Nam quamuis esto talia gesseris.
Quæ posset omnis non trepide sequi.
Verum minaci te fatere.
Inuidiâ caruisse nunquam
Mærore vinctum, respice amabili
Vultu, Parentem: dic vt inutiles
Deponat vmbras, & futuræ
Tristitiæ comitem cupressum.
Hoc defer illi, nil tibi cum graui
Ictu crudelis mortis, & inferas:
Quantum decoris meruisses,
Ingenio, vigiliq;ue cura.
Clamabo tecum viuere te polo,
Virtus quod vllas nec lenii moras,

Expe-

Expectet: æternas & ipsi
Tendis opes genitori habendas.
Præcede felix iam soboles Patrem,
Sis præsto votis omnibus: ac tibi
Quicquid breuis detraxit ætas
Adscribe cuncta tuo parenti
Nec non memorem te exhibe prouidis
Semper Magistris: MANKIEVIO quoque
Per quem dicatus tàm beatis
Artibus, atque Deo fuisti.